



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Dn. Conradi Clingii Theologi Et Ecclesiastae Celeberrimi
(dum vixit) apud Erphordiam Turingiæ, Catechismus
Catholicus, summam Christianæ institutionis III. libris
succinctim complectens**

Klinge, Konrad

Coloniae, 1570

VD16 K 1309

1. Quid sit regnum Dei.

urn:nbn:de:hbz:466:1-29452

blasphemare fecisti inimicos nomen Domini, filius tuus, qui natus est tibi, morietur. Et rex Assyriorum Sennacherib propter blasphemias quas fecit in Deum, & fecit dici regi Iuda, scilicet quod Deus illum nec defendere aut iuuare posset, vna nocte per angelum de populo suo interficiuntur 185. millia hominum. Et Balaam propheta dedit consilium regi, vt faceret fornicari populum Israël, & sic Deus eorum inhonoraretur, & permetteret eos cadere: & populus fornicatur, & nomen Dei blasphematur, & occisi sunt 24. millia hominum, Num. 25. Apocalyp. 2. tenentes doctrinam Balaam, qui docebat blasphemiam & scandalum coram filiis Israël, edere & fornicari.

DE REGNO DEI.

CAPVT XXVII.

ARGVMENTA.

1. *Quid sit regnum Dei.*
2. *Quomodo ad nos perueniat regnum Dei.*
3. *Quomodo oporteat quotidie regnum carnis in nobis corrumpi, vt crescat regnum Dei in nobis.*



Postolus dicit ad Rom. 14. Regnum Dei est iustitia, pax & gaudium in Spiritu sancto, id est, his rebus regnat Dominus Deus in omnib. qui in regno suo sunt, iustitia primò, quã dat ipse Deus, & imputat homini propter Christum, hoc est, Christi iustitiam donat & imputat peccatori, qua iustus reputatur contra demonem, peccatum & infernum, & hanc iustitiam ad Phil. 3. petit Apostolus, & Christus ait Mat. 5. Beati qui esuriunt & sitiunt iustitiam. Nisi hac iustitia Christi quis fuerit reputatus iustus, nemo coram Deo potest esse iustus, Plal. 142. Non iustificabitur

T in con-

in conspectu tuo omnis viuens. Deinde, regnum Dei pax est & securitas, quod homo certo scit sibi esse remissa peccata propter Christum. Rom. 5. Iustificati fide, pacem habemus apud Deum. Ephes. 2. Ipse est pax nostra: postremo, regnum Dei est gaudium in Spiritu sancto, quia conscientia lætatur, quod habet iustitiam & pacem Christi: ideo propter hanc gratiam & dona, diligit, laudat, glorificat & gratias agit Deo, & cum quadam voluptate incipit facere quod Deo placeat, & vitare quod displicet Deo. Sic regit Deus conscientias: in his rebus interioribus est regnum Dei, non in cibo, potu aut vestitu. Regnum enim Christi significat motus spirituales in corde, quos excitat Spiritus sanctus, id est, appetitum iustitiæ Christi, pacis & securitatis de peccatis propter Christum, idemque excitat gaudium cordis de gratuitis beneficijs Christi receptis, & gratias agit, & obedire legi incipit. In his rebus Christus regnat in nobis atque uiuit, id est, sua iustitia, pace & gaudio. Est igitur regnum Dei, id est, quo Christus in conscientijs regnat ac uiuit, non externa regni obseruatio, quia regnum Dei non uenit cum obseruatione Lucæ 17. sed intra uos est, sed est regnum Dei, quo Christus in nobis uiuit & conscientias regit, ut fides, inuocatio, patientia, timor, gaudium conscientie, gratiarum actio, dilectio, & similes motus atque fructus Spiritus sancti, Gala. 5. Hi motus sunt necessarii cultus Dei, sed ritus & cæremoniæ non sunt sic necessarii, ut fides sit inutilis, aut quasi non contingat iustificatio sine illis obseruationibus: Sunt enim ritus multum utiles, sed non isti motus cordis, qui perpetuo ad uerum Dei cultum exiguntur: In ritibus est libertas, hic autem non item, ad Gal. 4. In libertate qua Christus nos liberauit, nec iterum iugo seruitutis subiiciamini, & Col. 2. Nemo uos iudicet in cibo, potu, & parte diei &c. Non hic prohibentur ordinationes & ritus in politico finem, sed quantum ad finem iustificationis. Sic

Christi

Christus etiam veram ordinationem tribuit spiritui & motui cordis, non certo loco vel ritui, Ioan 4 Regnat igitur Christus & viuit in motibus illis spiritibus cordis, vt dictum est, & de his rebus interioribus est regnum Dei, & hos requirit motus à suis subditis.

Secundò oportet vt hoc regnum Christi ad nos veniat: alioqui nos ex corrupta nostra natura nunquam ex nobis ad illud perueniremus. Ideò iussit Christus exorare patrem, vt illud ad nos adueniat. Matt. 6 Adueniat regnum tuum &c. Duplici autem via aduenit ad nos regnum Dei, primum per prædicationem fidei hoc est, quando fides prædicatur & Euangeliū, scilicet quod Christus mortuus est pro peccatis nostris & resurrexit propter nostram iustificationem, Romanor. 4 id est, quod nos per mortem suam liberauit à peccato, morte, & inferno: hoc qui credit corde, & detestatur peccatis, ac cupit sibi exhiberi meritum passionis Christi, illi propinquat & aduenit regnum Dei, Sic dicitur Mat 3 Pœnitentiã agite, quoniam appropinquat regnum Dei, & sic quotidie ad nos peruenit regnum Dei, quoties audimus verbū Dei, & illi obedimus, & sic sunt in regno Dei, & ad illos venit qui obediunt Euangelio, & credunt, timent, atq; diligunt Deū, & proximum suū, qui sunt patientes, benigni, misericordes, &c. Diligenter ergo audire debemus verbum Dei, vt eo magis ad nos veniat regnum eius. Deinde veniet ad nos regnum Dei, quando post resurrectione & iudiciū illud in re accipiemus, vt Christus inquit Matthei. 25. Venite benedicti patris mei, possidete paratum vobis regnum: futurum enim est regnum patris, & in illo præparauit diligentibus se, quæ nec oculus vidit, nec auris audiuit, Esa. sexagesimo quarto. 1. Corinth. secundo. Et illud ad nos veniet post Christi regnum, quod hic consistit in fide, timore dilectione, iustitia, pace, & gaudio spiritus sancti &c. Et ideo dicitur CHRISTI regnum, quia hic in præsentibus